

rantia, quâ errores veritati adversi nec rejiciuntur, nec re-
felluntur, summo studio vitanda est. *II. Cor. VI. 14. 15. 16.*

*V. Religio Fanatica, quo magis pietatis specie blan-
ditur, eò severius fugienda est. II. Tim. III. 5.*

*VI. Sociniana Ecclesia & Ariana hodierna, quia my-
sterii Divinitus revelati nihil credunt, Ecclesiæ Christianæ
non sunt. Eph. IV. 4. 5. 6.*

*VII. Qui itaque è Socinianis & Arianis ad Ecclesiam
nostram accedunt, rebaptizandi sunt, si fuerint baptizati;
quia baptismus est beneficium soli Ecclesiæ Christianæ con-
cessum. Ibid.*

*VIII. Fratrum Spiritualium titulo, qui ejusdem fidei
confessione uniti sunt, rectius appellantur, quamquam non
sint regeneriti, quam qui doctrinam tenent, nobis adversam,
etsi vitam hi ducant inter Christianos honestam. Gal. I. 6.
coll. cum v. 11. III. 1. coll. cum v. 15.*

*IX. Religio, quantumlibet orthodoxa, quæ comitem
non habet vitæ sanctitatem, vana est, id est, à scopo, reli-
gionis indoli infito, aberrat, fructuq; salutis caret. Jac. I. 26.*

*X. Religio, cum bonorum operum studio conjuncta,
sola vera & immaculata religio est, si comparetur cum vanâ
& fructu suo destitutâ; quemadmodum solus DEus bonus
est, si comparetur cum creaturis. Jac. I. 27. Matth. XIX. 17.*

*XI. Religio tamen vera est, antequam opera ei acce-
dere concipiantur, cum ex operibus tantum vera esse ar-
guatur. Jac. II. 8.*

*XII. Nil minus religionis nomine quam Monachatus
Pontificius dignus est. Matth. XV. 9.*

Disp. IV.

De

Scripturâ Sacrâ.

I.

S Alvâ principii Theologici, quod est Scriptura S., unitate,
neque agnosci ullæ hodie revelationes pro immediatè
Divinis, neque judicium de iis suspendi potest.

II. Qvic-